Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799

Quelle:
Copyright:

mina, aut ſcripta deperierint. Interim in illa Librorum raritate et caritate amica certe fuit hominum inſtructioribus Bibliothecis adſidentium ejusmodi opera. Ad calcem iterum adjectum: *Vitus hunc librum illuminavit.*

CCCXIX.

U. 88 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 164. 4. luculente perſcriptus, et rubricis diſtinctus complectitur D. *Aur. Auguſtini* Ep. *Hippon. Libros* XII. *de Geneſi ad Literam*, quorum priores *duo* non parum ab humore, ſituque paſſi ſunt. Inſcriptio miniata: *Auguſtinus ſuper Geneſin ad litteram.* L. I. initium: *Omnis diuina Scriptura bipertita eſt ſecundum id quod Dominus ſignificat dicens* &c. Ad calcem L. I. additur: *Legi ſexto decimo kalen. decembr.* Ad calcem L. II. *Lege XVII. kal. Decembris.* Ad calcem L. IV. *Legi.* Liber XII. avulſo fine in his verbis rumpitur: *et nunc etiam ad ipſos quos obiurgabat et — —.* Leguntur haec edit. *Maur. Pariſ.* 1689. T. III. P. I. *col.* 317. ad finem *n.* 55. cui editioni non uno loco collatus Codex inter ſinceriores referri meretur.

CCCXX.

R. 3292 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 163. f. maj. per duas columnas eleganter ſcriptus, et rubricis diſtinctus inſignitur: *In nomine ſancte trinitatis Incipit expoſicio primi pſalmorum libri Beatiſſimi Auguſtini qui etiam decadas eſt nomine prenotatus.* Diviſionis in XV. *Decadas* jam *Caſſiodorus* meminit in *Prologo* ſuo in *Pſalmos*, ſed eam in Codicibus raro reperiri, obſervarunt *Mauriani* in *Praef. T. IV. Opp. Auguſtini.* Hoc ergo Codice velut T. I. continetur Expoſitio *Quinquagenae I. Pſalmorum* absque omnibus Prolegomenis, orditurque continuo: *Beatus vir qui non abijt* &c. *de domino noſtro ieſu chriſto id eſt homine dominico accipiendum eſt* &c. Ad calcem: *Explicit.* 1. 4. 7. 6.

CCCXXI.

Codex membraneus ejusdem R. 3293 rationis, Folior. 313. ab alia manu eſt Tomus II. inſcriptus: *Incipit tractatus aurelij Auguſtini de quinquageſimo primo pſalmo*, et infit: *Pſalmus breuis eſt de quo loquendum ſuſcepimus* &c. ut Edit. *ſupracit. col.* 475. Continet *Quinquagenam II. Pſalmorum*, et in fine miniatam hanc Clauſulam: *Explicit expoſicio ſancti Auguſtini epiſcopi eximij doctoris ſuper ſecundam quinquagenam pſalterij comparata a reuerendo in chriſto patre ac domino domino Benedicto abbate bujus monaſterij meenſee* (Mondſee) *ſcripta per fratrem Jacobum keſer de wratiſlauia profeſſum eiusdem monaſterij. finita anno ab incarnatione domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo octauo in die ſancti felicis in pincis.*

Scri-